



**Philippi Ecclesiae Eystettensis XXXIX. Episcopi. De
Eivsdem Ecclesiae Divis Tvtelaribvs. S. Richardo. S.
Willibaldo. S. Wvnibaldo. S. Walpurga. Commentarius
nunc primum evulgatus**

Philipp <Eichstätt, Bischof>

Ingolstadii, 1617

Cap. XXXI. De obitu S. VWalpurgæ Virginis.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-70477](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-70477)

Domino caritatiuè famulabatur; pertimescens, ne ventus iniuriosæ vanitatis lampadem internæ claritatis, quam ei Dominus contulerat, extingueret. Hoc autem miraculum de innumeris excerptum huic legendæ vnitum annotare curauimus, quatenus ad originalem lecturam, quæ de beato VVillibaldo, Dei gratia, consummanda est, magis festini veniamus.

CAPVT XXXI.

De obitu S. VValpurgæ Virginis.

Ostea per aliqua temporis interualla Virgo VValpurgis Deo charissima, finem imponens huius seculi laboribus ac doloribus, ad brauium æternæ vocationis anhelans, ægritudine, quæ ipsam inuaserat, inualescēte, Ecclesiasticis Sacramentis munita, plena Spiritu sancto, obdormiuit in Domino, quinto Calendas Martij, hoc est in crastino S. Matthiæ Apostoli; festum verò Canonizationis ac translationis eius in die beatorum Apostolorum Philippi & Iacobi consueuit sollenniter celebrari: Est autem

Festū S. VValpurgæ primo die Maij.

autem sanctissima VValpurgis Virgo iuxta S. VVunnebaldum Ecclesiasticæ sepulturæ commendata, per B. VVillibaldum Præfulem fratrem suum, vt vicinitas sepulturæ germanitatem generis, & parilitatem sanctitatis demonstraret.

Sepulta est iuxta sanctum VVunnebaldum.

CAPVT XXXII.

De translatione B. VValpurgis in Eystett, & fundatione Monasterij ibidem.

D Rocessu verò longi temporis, postquam B. Præsul VVillibaldus de hoc mundo nequam migrauerat, in polorum regno cœtibus Angelorum admixtus, reuelatione diuina cuidam Eystettenfium Episcopo, nomine* Herperto, monstratum est, vt Beatam, Deo placitam & hominibus gratam, Venerabilem VValpurgam Virginem, de loco humili, in quo inhumata fuerat, ad locum excellentiorem magis, ac reuerentialem transferre deberet. Igitur Deus omnipotens Ecclesiæ Eystettensi, ac salutis totius populi eiusdem ciuitatis, nec non

** Non sub Herperto, sed sub Otkario Episcopo translata est S. VValpurgis Eichstadii. de quo vide Catalogum in Otkario.*